

DE
TENDINIS ACHILLIS
SOLVTI
SANATIONE IN INTEGRVM FACTA
SINE ADVNATIONE PARTIVM TENTATA
CASV QVODAM NOTABILI COMPROBATA

CLEMENTER ANNVENTE D. T. O. M.
E DECRETO ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
IN REGIA FRIDERICIANA
PRAESENTE

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS CONSILARIO INTIMO
MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARIO
FACVLTATIS MEDICAЕ SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHORO
IMPERIALIS ACADEMIAЕ NATVRAE CVRIOSORVM PRAESENTE
ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROLINENS.
ET MONSPLEIENS. SODALI

PRO GRADV DOCTORIS

SOLLEMNITER CONSEQUENDO
DIE XXV. MAII A. O. R. C¹6¹0⁰ CC LXXV.

H. L. Q. S.
PVBLICE DISPVVTABIT
AVCTOR

FRIDERICVS CHRISTIANVS BEHR

BERGEDORFENSIS.

HALAE AD SALAM
AERE CVRTIANG.

VIII. 2. 5 - 2

TENDINIS ACILLIS
SOLATI

SANTOZEN INTEGRUM ACTA
SCENE A MUNITIONE PARTITAM TESTATA
CAEA OLODAM NOTABILIS COPIORATA

COLLECTUS AMERICANA PRAECEPS
DE PEGASO PEGASATIS MEGACONIA CUPIDINIS
IN ARCOY PRIDEPLICAVIA
PRAESIDE

DANDRE ETIA BUCHINNO

SECRET ROMANI IMMELLI MONDI
FOGLIUM SPLENDENS PRAESIDAE REBES DORMIDIO
MELANIA ET TURBO ET SATOR TROGLOS YARAS QUINTINIA
TANNTA ET VEDUGA EMINENS MELRIDA CHALOZORUM PRAEZ
MELRIDA ET ACQUAMIA MELRIDA CHALOZORUM PRAEZ
ET RIGIA SOCIIS SCIENTIA MONGOLIA DIPLOMINIS
ET MONGOLIA SOCIIS

PRO ERADA DOCTORIS

SCILICET MISTER DOCTERIS GEGEBENDO

DEI ZEVA MATH A O A GIGASCE EXA

PRAEICE DISPLATATIS

A-VACTOR

ERIDERICAS CHRISTIANAS SEHR

HAIKE AD SALAM

SCHE U A R T I A N I S

VIRO SPECTATISSIMO
LVDOLPHO FRIDERICO
FICKE

CIVI AC ARGENTARIO HAMBVRGENSI

BONO FELICI

PATRVELI SVO

OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO.

Præter te, neminem habui, cui potius has primitias
studiorum meorum academicorum consecrarem, cuiusque

Praeter te, neminem habui, cui potius has primitias

studiorum meorum academicorum consecrarem, cuiusque

nomini magis, quam tvo, inscribere possem hanc Dissertationem meam inaugurealem, quam, ut Doctoris gradum summosque in Medicina honores legitime consequar, e Statutis academicis publici iuris nunc facio; eamdem e cathedra academica propediem defensurus. Siue enim considerem eximium amorem tuum ac studium, quo litteras bisque deditos prosequi soles; siue nunc reminiscar illorum beneficiorum, quae multis abhinc annis quam copiosissime in me contulisti, fraterno magis amore erga me alicitus, ductusque perenni studio rebus meis praeclara ratione consulendi: haec iam, pluraque alia laudabilia facta tva, tanti apud me sunt, PATRELIS AESTVMATISSIME, ut in crimen bominis inconsiderati atque immemoris beneficiorum me certo venturum esse iure meritoque existimem, si praesentem occasionem sine aliqua honoris gratique animi mei erga merita

ta TVA, quae in me exstant maxima, testificatione publica
praetermitterem. Accipe igitur, PATRVELIS CARIS-
SIME, hoc eruditionis academicae specimen publicum, NO-
MINI TVO dicatum, instar munusculi, quod quidem per-
exiguum est, ideo tamen valorem aliquem nancisci videtur,
quod ab animo amoris veri erga TE ac reuerentiae pleno
proficiscitur; hac fide interposita, me quoque in posterum,
prouti hactenus factum erat, omnem daturum esse operam,
ut in TE amando ornandoque nemini siam secundus! Velit
iam SVPREMVM NVMEN, quod supplex veneror, precibus
meis annuere, atque omne id, quod vitam humanam modo
valet reddere felicem beatamque, in TE CONIVGEMQUE
TVAM AMANTISSIMAM, FIDAM VITAE TVAE SO-
CIAM, MATRONAM LAVDIBVS MEIS SVPERIOREM,
perquam largiter conferre, vosque aliis in verum felicita-
tis

tis humanae exemplum ad Nestoreos usque annos conservare!

Quo animo ad cineres usque perseverabo

QH cunnilioq; vniuersitatem riuocauisse sol

et ab aliis latere p[ro]fessum est. Et hoc est TITULUS

NOMINIS TVI

entulus in quo nesciis nomen tenet ohi. Aemuljus

multe amitterebat q[ui] et ager tunc auctoritate de h[ab]e

rebus q[ui] in vnguis tui. Adversarii sed et quibusdam

multe q[ui] in vnguis tenuerat. Quia amicti inter se ducunt

illis. I. vnguis multe amittere p[ro]fessus est. Et si ap-

petitur, non posse vnguis habere. Nam uero munera vngis

debet amittere. Multe h[ab]ent q[ui] amicis vnguis esse

ad Scr. Halae ad Salam. Et si separantur amici vnguis habet solum

die xx. Maii c[on]cio CCLXV.

FRATRUM MAGISTRI ET MAJESTITIA MAGISTER

MAGISTER ET MAGISTER ET MAGISTER ET MAGISTER

FRATRUM MAGISTRI ET MAGISTER ET MAGISTER

obseruantissimus cultor

FRIDERICVS CHRISTIANVS BEHR.

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA

DE

TENDINIS ACHILLIS

SOLVTI

SANATIONE IN INTEGRVM FACTA

SINE ADVNATIONE PARTIVM TENTATA,

CASV QVODAM NOTABILI COMPROBATA.

§. I.

Satis iam innotuit inter artis peritos, fieri omnino posse, ut partes tendineae solutae, praevia illarum adunatione, quae produci solet per futuram modo actualem, modo potentiale, modo etiam per situm, non solum consolidentur, sed denuo reddantur idoneae, ad pristinas suas functiones rite perficiendas. Minus vero inter eosdein de eo constitit, quod eadem partes tendineae solutae, licet modo dictae earum adunationes omittantur, ad consolidationem peruenire possint; ipsis simul in integrum restituta vi, ad functiones recte obeun-

obeundas necessaria. Operae igitur pretium fore iudicauit, si hac occasione, quum pro gradu Doctoris legitimate impetrando Statuta academica me prius disputare atque eruditionis medicae specimen publicum edere iubeant, ductus casu quodam notabili, id mihi feligerem argumentum Dissertationis, vbi exemplo tendinis Achillis soluti probatum darem, fieri posse, ut etiam solutiones partium tendinearum, sine praeuia earundem adunatione, ita bene sanentur, ut partes istae pristino valori suo iterum restituantur. Neque ita expolum hoc esse puto argumentum, neque inutile. Vt enim Medicina ab hypothesibus eidem importatis (sterili illa auena) magis deturpatur: ita eadem ab obseruationibus accuratis, indeque recte deductis doctrinis, egregie augetur exornaturque. Hinc iam argumentum propositum prae reliquis dignum esse putaui, quod loco speciminis inauguralis a me pertractatum exhiberetur. Omnem quoque operam dabo, vt ipsa argumenti tractatio certis quibusdam principiis innitatur; singulis congruo ordine inter se collocatis. Descriptione igitur casus illius notabilis, qui praesenti elaborationi litterariae occasionem dedit, mox subiungam principia, ad eiusdem explicationem congrua; inde deriuaturus ea, quae ad usum practicum pertinebunt. Tu vero, L. B.
ruedo
hasce

hasce meditationes meas de argumento, nunc ad dispu-
tandum proposito, aequo bonoque iudicio proba!

§. II.

Cafus descriptio.

Operarius quidam, aetatis quadraginta annorum & quod supra erat, bonae alias valetudinis, circa petrae displosionem occupatus, dum se non satis velociter in locum securum recipiebat, frusto lapidis acuti simulque lati ad tendinem Achillis vulneratus erat ita, vt dictus modo tendo ac integumenta, quae illum circumdant, supra insertionem ossis calcanei, ad latitudinem vnius circiter digiti, viderentur transversaliter discissa esse.

§. III.

Eiusdem rei continuatio.

Quoniam vero lapis ad sui planitiem acutam oblique magis adactus erat locis vulneratis: hinc etiam illius vis in vulnerando non ita a grauitate sua, sed potius ab impetu, quem a pulveris pyrii efficacia nactus erat, deriuanda erit; vulnusque ideo inflictum ei aequipollebit, quod non solum dissectioni, sed et contusioni partium originem suam debet.

B

§. IV.

§. IV.

Eiusdem rei continuatio.

Hic iam vulneratus ad sanandum fratri meo, Chirurgo constituto Bergedorfii, (Oppidum est ad Lubecenses et Hamburgenses pertinens), cui ego tum temporis ibidem praesens in curatione aegri huius adiumento fui.

§. V.

Eiusdem rei continuatio.

Aegro ad eum situm perducto, ut abdomini inumberet: vulnus accurate exploratur, vino calido eluitur, atque ab omni sorditie mundificatur. Qua occasione mihi etiam obseruare licuit, quod ab extensione tendinis, ope forcipis facta, nullus in aegro prodiret sensus incommodus, sed eo magis ab illo toties perceptus, quoties vagina tendinis nunc praedicto modo extendi tentaretur.

§. VI.

Eiusdem rei continuatio.

Tres modi possibles sunt, longo vsu artis comprobati, quorum applicatione sanationem in casibus proposito similibus generatim perficere licet: cuius nominis

nis sunt, vel futura actualis, vel potentialis, vel denique situs, tamquam singula ad tendinis soluti vniōnem obtinendam idonea. Quia vero hic infictum erat vulnus a cāūsa non solum scindente, sed etiam contundente, vt supra iam annotatum est (§. III.); atque omnia vulnera, a contusionibus suborta, per suppurationem magis sananda Ars praecipit: hinc ratio aderat omittendi in casu nostro futuram actualem, quae alias vniēndi tendinis caūsa institui solet; maxime, dum aeger a prima iuuentute duro vitae generi et viētui crudo adsuetus, inde fibrarum rigiditatem sibi contraxerat, parumque spei supererat, fore, vt tendinis soluti extremitates, quae ad duos digitos transversos a se distabant, per futuram inter se vñiri possent; ad haec insuper accedente illo momento, quod nempe ligamenta tarsi in subiectis annosioribus non tantae extensionis sint, quam in iunioribus, vt pes magis retrorsum cogi possit.

§. VII.

Eiusdem rei continuatio.

Omnis ideo opera data erat, vt per situm adunatio obtineretur. Quem in finem musculi gastrocnemii et soleus ex parte superiore inferiorem versus, pes vero magis retrorsum beneficio fasciae cogebantur. Atque

B 2

hoc

hoc modo extremitatis partium tendinearum propior ad se accessio facta est, vsque ad distantiam vnius digiti transversi. Quoniam vero compressionem descendenter, ob metum circuli sanguinis suppressendi, ulterius prosequi incongruum fore videbatur: idecirco haec imperfecta vulneris adunatio commoda aliqua fascia conservabatur, eo citioris sanationis perficiendae caussa.

§. VIII.

Eiusdem rei continuatio.

Vulneris extremitatibus vtrisque per futuram potentialem inter se unitis; Tincturae balsamicae Stahlii, cum spiritu Terebintinae remixtae, ad tendinem, et balsami Arcae facta applicatione ad reliquas partes solutas; hic simul in usum vocata fomentatione ope saccularum, speciebus discutientibus infarctorum, atque in vino calido maceratorum; tandemque venae sectione instituta, datisque aegro circa vesperam pulueribus temperantis effectus, eidemque loco potus ordinarii commendato decocto auenae, vna cum diaetae congruae et decentis regiminis externi constante observantia: factum iam inde erat, ut motus febribus admodum mites apparerent, et symptomata in huiusmodi casibus, ob inflammationem ibi praesentem, consueta, cessarent, supra-

puratione paullo post suborta. Interuallo sex hebdomadum a tendinis soluti vtrisque extremitatibus portio quaedam duarum linearum separari videbatur, mox in conspectum ibidem venientibus punctis carneis. Quo facto, Tinctura balsamica, superius iam commemora-ta, ad vulnus solummodo adhibebatur, idque eo cum effectu, ut punctis illis carneis magis magisque elongatis, eadem inter se tandem coirent, vulnus consolida-retur, relicta lata quidem, sed plana cicatrice.

§. IX.

Eiusdem rei continuatio.

Iam rediit ad aegrum facultas obambulandi, per demque laesum ad diuersam plagam mouendi. Vnde fatis certo colligi poterat, quod hic non per nudam aliquam concretionem soluti continui, sed potius per tam partium dissolutarum vunionem, earum consolida-tio contigerit, qualis requiritur ad motum, quem earum beneficio perficere natura concessit.

§. X.

Eiusdem rei continuatio.

Iussus deinceps erat aeger se se adhuc per quatuor-decim dies intra conclave detinere, ibidem obambula-

B 3

re,

re, loca corporis affecta cum spiritu vini camphorato frequenter lauare, tandemque domum discedere. Quia vero ad vnum quadrantem milliaris ab urbe pagus ille distabat, ubi aegrotanti domicilium erat, magisque in loco eleuato situs, ita, ut non nisi per gradus adscendendo ad illum per tingere liceret: hinc eidem consilium datum erat, ut domum discessurus se potius equo aut curru vehi curaret; ne sibi noceret, productis inter ambulandum nimiis extensionibus tendinis laesi. Sed dicto parum obediens, iter pedibus ingreditur, mox inseguente poenitentia consilii repudiati. In itinere enim dolor ad loca affecta subortus adeo increuit, ut die sequente in urbem denuo transportari cogeretur miser. Facta iam exploratione locorum affectorum, praeter ecchymosin, noua continui solutio inueniebatur. Hic igitur necessaria erat incisio, ut, extrauasato prius remoto, producta per modum ruptionis solutio continui iterum sanari posset.

§. XI.

Eiusdem rei continuatio.

Sanatio secunda vice instituta citius ad exoptatum finem peruenit, quam prima; licet idem curationis modus fuerit, quem supra descripti. Ne vero noua par-

partium disruptio iterum fieret: e re fore videbatur, calcei partem posteriorem inferioremque ad dimidiam circiter latitudinem digiti transuersi eleuatiorem reddere, ibidemque funiculum coriaceum sat firmum tantae longitudinis insinuare, ut ille ad flexuram vsque genu pertingeret, ibidem circumactus. Quo iam modo id effectum erat, ne aeger antrorsum pedem tantopere extenderet, nouamque tendini Achillis ruptionem tam facile induceret.

§. XII.

Eiusdem rei continuatio.

Aegro iam conseruato in hoc statu (§. anteced.) per aliquod notabile tempus, ita tamen, ut funiculus ille coriaceus, ad flexuram genū circumiacens, interuallo quatuor hebdomadum magis magisque elongaretur: peruenit tandem ad firmitatem sufficientem portio illa carnosa.

§. XIII.

Eiusdem rei continuatio.

Atque ita firmae valetudini restitutus aeger, eadem adhuc vititur, nullo plane incommodo in locis quondam affectis reliquo. Nam pes olim laefus ad quascumque

cumque actiones praestandas, quae per eum fieri possunt, vel maxime idoneus esse deprehenditur. Nulla ibidem signa debilitatis, insensibilitatis aut doloris comparent; cicatrix adest ad latitudinem duorum digitorum transuersorum extensa, sed insimul plana, cui nullam cauitatem aut suspectam aliquam mollitiem subesse, examen tactu accurate institutum prodit, sed idem potius tendinem a calcaneo usque ad furas aequalis roboris ac resistentiae esse monstrat.

§. XIV.

Musculi descriptio.

Musculi stricte sic dicti eae potissimum partes sunt corporis animalis, quae se instar instrumenti cuiusdam habent, idonei ad motum a natura perficiendum; corpusque aliquod exhibent flexible, compositum ex fibris carneis, vasis tam sanguineis, quam lymphaticis, nec non ramis nervosis; hisce singulis tunica cellulosa ubique intertexta. Quaevis vero fibra carnea constat ex fibrillis, atque istae ex corpusculis primitiuis, inter se cohaerentibus. Vasa sanguinea, musculos adeuntia, arteriae aequae sunt, ac venae. Ad vasa vero lymphatica quod attinet: illa quondam duplicis quoque generis, ut vasa sanguinea, hinc modo arteriosa, modo venosa

venosa esse a Physiologis ac Anatomicis putabantur *). Recentiori vero tempore haec iam in scholis Medico-rum obtainere videtur sententia, quod vasa lymphatica, quae insunt corpori humano, venosorum magis subire debeant censem **). Quamcumque tandem fibram musculararem circumdant vasa et nervorum rami; vt hoc modo muscularorum nutritioni ac sensationi natu-ram bene prospexit appareat.

*) Confer. *Celebr. BOERHAAVII Institut. med.* §. 246. vna cum *ILL. HAL-
LERI* *commentatione ad h.l.*

**) Confer. *Cl. ALEXANDRI MONRO Iun. libellus de Venis lymphaticis
valuolosis et de earum in primis origine.* Porro. *Celeber. IO. FRI-
DER. MECKELII Dissertatio epistolaris de Vasis lymphaticis glandu-
lisque conglobatis.*

§. XV.

Musculi diuisiō.

Omnis musculus diuidi solet in *corpus*, vel *partem medianam*, tandemque in *extremitates*, sive *partes tendineas*. Corpus musculi illam sui partem constituit, quae carnea est, cuius fibrae extremitates musculi versus exten-duntur, atque in hoc decursu a tela cellulosa continuo einguntur, vsque dum in substantiam tendineam de-generauerint. Vna harum extremitatum in musculo, eius *caput*, sive *punctum fixum* dici solet, constans ex bre-

C uibus

uibus fibris tendineae naturae, ossisque parti resistenti adhaerens. Altera vero musculi extremitatum eius *cauda*, vel *punctum mobile* appellari suevit, e fibris magis longis constans, adhaerensque parti mouendae ossis.

§. XVI.

Tendinis descriptio.

E re mea nunc iam prae reliquis fore iudico, si hoc loco de tendinis natura quasi ex instituto differerem. Efficiendum enim mihi est, ne principia quaedam certa in Dissertatione mea desiderentur, quibus neutiquam carere poterit explicatio casus supra enarrati. Quare sequentia hic iam notanda erunt. Apparet nimirum tendo instar funiculi densi, compositi ex fibris, quae albantem colorem referunt, vti rubro magis illae gaudent, quae musculi corpus constituunt. Atque haec solum valent de homine nato, praesertimque adulto. In foetu enim fibrae, ad extremitates muscularorum sitae, rubrum exhibent colorem, nec differunt ab illis, quae corpus sic dictum in musculo efficiunt. Experimenta macerationis, instituta cum muscularis, commonstrarunt, fieri posse, vt a musculi capite, corpore et cauda vna fibra post aliam separetur, separataque filum aliquod continuum representare deprehendatur. Totus

tus praeterea tendo vagina aliqua inuestitus esse obser-
uatur, quae nihil aliud est, quam continuata tela cel-
lulosa, corporibus muscularorum circumvoluta, sed iam
densior facta ad loca tendinea. Ab huius vaginæ su-
perficie interna copiosissimi flocculi, coloris candidi, ad
tendinis ipsius superficiem externam pertingunt, cum
ea aliquo modo cohaerentes. Neque id hoc loco pree-
termittendum esse videtur, quod nimurum intra hanc
vaginam tendinum liquidum quoddam contineatur al-
bum, viscidum, et simile albumini ouorum.

§. XVII.

Consecutarium.

Quoniam fibrae tendineaæ continuae sunt cum
fibris carneis, quae in corpore musculi adesse satis clare
conspiciuntur; eademque etiam in foetu ad extremitates
muscularum deprehenduntur (§. anteced.): sequi-
tur, fieri posse, ut tendinis ortum tibi concipias per massam
fibrarum carnearum, succedente aetatis tempore sub volumen
arcuus redactam, ita, ut inde iam tendo instar funiculi densi
apparet, vaseisque ibidem magis magisque coarctatis, ideo-
que sanguinis ad illa aditu intercepto, colore albicanem
necessario exhibeat.

C 2

§. XVIII.

§. XVIII.

Consectarium.

Sed etiam vagina tendinis continua est cum tela cellulosa, ambiente corpora musculorum (§. XVI.). Hinc iam non immerito colligitur, *quod, massa telae huius cellulosae in minus volumen coacta, eidem maior densitas ut accedit, necesse sit* (§. citat.); siquidem tendinis ortus ab hac in minus volumen redactione massae fibrarum carnearum dependet (§. anteced.), quidni idem etiam contingere cum tela cellulosa, fibras carneas continuo comitante?

§. XIX.

Consectarium.

Multoties edocuit obseruatio, certissima illa veritatis praeceptrix, quod ex incisa tendinis vagina corporis animalis viui effluere visus sit sanguis. *De vasorum itaque sanguineorum praesentia in tendinis vagina nullum esse poterit dubium.*

§. XX.

Consectarium.

Quum in physiologicis satis certo euictum tradatur, quod reliquorum fluidorum secretio a sanguine depend-

dependeat, per vasa sua aduecto ad partem aliquam, non destitutam tamen conditionibus aliis, ad secretio-
nis negotium necessariis: *hinc etiam fieri poterit, vt flui-
dum quoddam intra vaginam tendinis secernatur;* siquidem
ibi nec vasa sanguinea defunt (§. anteced.), nec aliae,
quae secretionem ibi fieri posse probant, conditions,
exemplo telae cellulosae (§. XVI.).

§. XXI.

Consecrarium.

Inueniri intra tendinis vaginam liquorem quem-
dam album, viscidum similemque albumini ouorum,
obseruatio testatur (§. XVI.). Nullum igitur dubium erit,
quin liquoris istius secretio originem suam debeat sanguini,
aduenti per vasa, vaginam tendinis ingredientia (§§. XIX.
et XX.).

§. XXII.

Consecrarium.

Natura, decenti lubricatione fibrarum, actionem
earum subleuare, easque hoc modo defendere voluit,
ne tam facile ineptae fierent ad agendum; id com-
monstrante Physiologia. Sed fluidum illud, quod intra
tendinis vaginam secernitur (§. anteced.), per sui essen-
tiam

tiam ac naturam idoneum est, ad lubricandum tendinem. Consequens ideoque erit: *liquoris nunc modo dicti functionem fore, ut tendo inde lubricetur continuo, eiusque motus hoc modo facilior reddatur.*

§. XXIII.

Experimentum.

Quodsi etiam per vasa sanguinea, vaginam tendinis ingredientia, iniiciatur materia ceracea; eam ad tendinis vsque superficiem externam, per flocculos illos albicantis coloris, qui ibidem aliquo modo cohaerent, prodeentes ex tendinis superficie interna (§. XVI.), penetrare videbis.

§. XXIV.

Consecrarium.

Ex §. anteced. confidere iam licebit: *flocculos istos non nisi vasa lymphatico-serosa esse.*

§. XXV.

Consecrarium.

Ad nutrientiam partem aliquam lympha opus est, per vasa peculiaria ad illam deferenda (per principia Physiolog.). Sed tendinem adeunt vasa lymphatica (§. anteced.);

teced.); insimulque materia quaedam lymphatico-se-
rofa intra illius vaginam continetur (§. XVI.), secreta
a sanguine ad eam per vasa sua delato (§. XXI.). *Non*
obstabit igitur, *quo minus haec ipsa materia*, praeter lu-
bricationis functionem, quam ratione tendinis prae-
stat (§. XXII.), *huius quoque nutritioni inferuiat.*

Simili etiam ratione natura procedit cum ossium nutritione. Nam e pe-
riostii superficie interna prodire videntur flocculi albicantis quoque
coloris, ad ossis superficiem externam tendentes, cumque illa co-
haerentes; de quibus vero per injectiones constitut, quod vasa sint,
et sine dubio destinata ad materiam ossibus nutrientis importandam.

§. XXVI.

Conjectarium.

Sensationem in parte aliqua dependere a neruo-
rum, eidem intertextorum, certa aliqua mutatione,
commonistrat Physiologia. Quia vero non tendinis,
sed huius vaginae extractionem, susceptam ope forcipi-
sis, subsequutus erat sensus quidam incommodus in
aegrotante (§. V.): sequitur, *non ita tendini, sed huius*
potius vaginae nervos inesse.

§. XXVII.

De tono fibrarum necessario ad muscularum actiones.

Congruis argumentis in Physiologia probatur,
quod ad talem muscularum actionem, qualis ea statui-
fani-

sanitatis conuenienter fieri debet, requiratur, vt illorum fibrae decenti robore polleant, siue tonum habent. Dependet vero fibrarum muscularium robur a fibrillarum, ex quibus illae, tamquam fila crassiora, e multis tenuioribus contorta, constant (§. XIV.), certi gradus inter se cohaesione; id quod etiam in Physiologicis commonistratum dari solet. *Vt itaque, fibris muscularibus decenter contractis, in musculis actiones, statui sanitatis conformes, oboriantur, tono fibrarum opus erit, siue determinati gradus cohaesione fibrillarum inter se mutua, concurrentium ad componendas fibras muscularum.*

§. XXVIII.

Solidorum in genere morbi a laesa cohaesione.

Sed fieri posse, Pathologia docet, vt partium solidarum in genere cohaesio modo augeatur, modo immunuatur, modo etiam prorsus tollatur. *Quorum iam uno atque altero in partibus solidis suborto: iisdem quoque morbus quidam innascatur, necesse erit.*

§. XXIX.

Eorumdem possiblitas in partibus flexilibus et tendineis.

Quod de morborum origine possibili in partibus solidis generatim ex earum laesa cohaesione valet (§. anteced.): *illud etiam praedicare conueniet de partibus flexilibus,*

libus, tamquam ad solidas pertinentibus; consequenter de paribus quoque tendineis.

§. XXX.

Solutio continuui possibilis in tendine Achillis.

Quare iam fieri poterit, *vt parium, tendinem Achil- lis constituentium, cohaesio prorsus tollatur; sive, vt huic ipsi tendini accidat solutio continuui* (§§. XXVIII et XXIX.).

§. XXXI.

Solutiones continuui in tendine Achillis ad quas species referendae?

Quae in partibus solidis oboriuntur solutiones continuui: illae, *vt Pathologia praecipit, vel coniunctae erunt cum mutatione aliqua, quae ratione mixtionis in solidorum partibus elementaribus prodit, exemplo vlcérum putridorum, aut cariei ossium; vel etiam existere poterunt in partibus solidis, integra mixtione elementorum, e quibus illae componuntur, vti id exempli loco probant vulnera, fissurae, aut fracturae ossium.* Exinde iam sequitur, *solutio- nem continuui, quae etiam in tendine Achillis oboriri potest* (§. anteced.), *ad illos quoque casus referendam esse, ubi elementarem eius mixtionem mox alteratam, mox vero integrā deprehendere licebit.*

D

§. XXXII.

§. XXXII.

Qualem speciem solutionis continuæ in tendine Achillis exhibeat casus supra descriptus?

Historia morbi, quam supra enarraui, satis probat, tendinis Achillis solutionem ibidem subortam fuisse sine mixtione eius elementorum mutata (§§. II. et III.). Quare iam de eo constabit, *ad quam speciem solutionis continuæ referri debeat casus, a me supra descriptus?*

§. XXXIII.

Scholion.

Sed nunc iam modus ille accurate disquirendus erit, quo nimirum fieri possit, ut partes tendineae solutae, praeter illarum adunationem tentatam, secum denuo concrescant, cum reditu potentiae pristinas functiones suas perfecte exercendi. Hoc enim est, quod ego imprimis tantum animum induxi meum de ea solutione tendinis Achillis probare, quae facta esse proponitur (§. I.) in casu supra a me descripto. Non ideoque immorabor expositionibus causarum, in casu nostro sufficientium, ad producendam solutionem continuæ in tendine Achillis; siquidem hæc satis clare apparent ex casu descripti perlectione: sed potius certa quae-

quaedam principia hucusque propositis adhuc addam;
vt de eo satis recte constet, quod nunc mihi ad ex-
plicandum sumpsi.

§. XXXIV.

*Conditio sanationis tendinis Achillis, praeter solitas
adunationes.*

Supra iam annotaui (§. I.), quod arte salutari
bene doctorum haec communis sententia sit, consol-
idationem scilicet tendinis Achillis soluti triplici modo
obtineri posse et debere: per futuram nempe vel
actualem, vel potentiam, vel denique per situm.

*Quod si, igitur, fieri possit, ut, praeter hanc adunationem,
uno atque altero modo productam, in extremitatibus tendi-
nis Achillis soluti, eius sanatio ad integrum perficiatur:
tunc ista vix alio modo concipienda erit, quam per nouam
restorationem partium, illis similibus, quae tendinem Achil-
lis efficiunt.*

§. XXXV.

Observatio.

In vulneribus sponte contingere solent sequentia.
Primo ab illorum ortu sanguis sincerus profluit; fibrae
carneae contrahuntur; efficiturque, vt lumen vaso-

rum ideo minus reddatur, quia illorum fibrae longitudinales solutae, ob vim, quam habent, elasticam, ad eorumdem axin magis resiliunt. Qua ratione sanguini affluent iam obex ponitur, quo minus ille ad tantam quantitatem e vasis exire possit, ad quantum ibidem aduehitur. Quare sanguinis coaceruationes in vasis tunc necessariae erunt; quibus iam efficitur, vt inde vasorum fibrae orbiculares distendantur, hisque distensis, magis contrahantur longitudinales. Sic producta in fibris longitudinalibus vasorum contractione, eorum lumen adeo imminuitur, vt loco crux, fluidum magis tenue, subruberum, e vasis prodeat. Superuenit deinceps inflammatio, tamquam caufa motuum febrilium, et effectus, qui sanguini stagnanti, ob vasa alia distensa, alia vero compressa, originem sui debet. Mox insequitur suppuratio partis vulneratae; motus febriles magis magisque decrescunt, cessant tandem, sublatis penitus per suppurationem obstructionibus. Sed actu isto suppurationis prorsus absoluto, in tota superficie vulneris prodire conspiciuntur papillae carneae, quae inter continuas vulneris irrorationes, a lympha exstillante factas, sensim sensimque elongantur, donec se se vndique contingent, eoque modo vulneris spatium vacuum ita repleant, vt tandem vacuum

istud

istud expletum peripheriae cutis aequale fiat, vulnus consolidetur, eidem ingenerata cicatrice firma.

§. XXXVI.

Observatio.

In ossibus fractis id euenire solet, vt ad loca soluti continui gelatina compareat, quae magis magisque compacta et similis fit substantiae osseae. Saepius etiam contingit, vt, perforatis ossibus, praecipue cranii, a carie affectis, papillae carneae prodeant; frusta ossis cariosi secedant (secessiones istae exfoliationes dici solent); tandem vacuum inde subortum a substantia carnosa, eidem ingenerata, atque ad ossis naturam temporis mora accedente, repleatur.

§. XXXVII.

Lex uniuersalis naturae circa fixationem soluti continuo in solidis.

Satis luculenter ex §§. XXXV et XXXVI. apparet: *naturam in solutionibus continui, oboris tam in partibus infelixibus, vt ossibus, quam flexilibus, vt eae sunt, quae vulneribus obnoxiae fieri possunt, iterum persanandis, hanc legem constanter sequi, vt ex materia, gelatinæ aut carni teneræ simili, eaque de tempore in tempus magis in-*

D 3

cref-

*crescente, atque ad maiorem firmitatem perueniente, restau-
rentur partes, amissis simillimae.*

§. XXXVIII.

Eadem in partibus quoque tendineis locum babet.

*Quin secundum eamdem quoque legem (§. anteced.) natura
procedat, tentatura consolidationem soluti continui in parti-
bus tendineis, multo minus dubitari poterit; quum harum
partium fibrae muscularis originis sint (§. XVII.); illa-
rum vagina se ad eamdem rationem habeat, ac tela
cellulosa, circumuestiens muscularorum corpora (§. XVI
et XVIII.); neque hic tandem deficiant vasa (§§. XIX
et XXIV.).*

§. XXXIX.

Speciatim in casu nostro.

Accurate iis iam perfectis atque inter se collatis,
quae in casus nostri descriptione continentur (§. II-
XIII.): non poterit non constare, *solutionem continui,*
Achillis tendini inductam, praetermissis licet consuetis
illis artificiis adunandi partes solutas, *non per earum*
confusam aliquam concretionem, sed potius per nouam gene-
rationem partium deficientium, factam a papillis carneis,
quae sensim sensimque increuisse et firmiores fieri vide-
bantur,

bantur, *in integrum sanatam fuisse*; siquidem parti lae-
fæ facultas restituta erat, quascumque sibi competen-
tes functiones exacte obeundi. Vnde simul certum
erit, *quod in perficienda sanatione tendinis Achillis soluti*
(vt in casu supra descripto exponitur) *natura quoque*
sequita sit illam legem, quae generatim enuntiata exstat in
§. XXXII.

XL.*Vsus practicus.*

Quae quum ita sint, vt solutiones continui in ten-
dine Achillis integrum quoque sui sanationem admit-
tant, sine adunatione partium solutarum prius suscep-
pta (§. anteced.): sequitur, *non ita anxium esse debere*
Therapeutam, ad sanandas solutiones continui in partibus ten-
dineis vocatum, deprehensis illis impedimentis, quo minus par-
tium solutarum adunationes perfici queant. Ad eiusmodi
impedimenta pertinent, exempli loco, perquam graues
contusiones, partium vniendarum nimia rigiditas aut
distantia ratione extremitatum suarum. *Sed tunc potius*
eo dirigendum erit studium omne medentis, vt, ad exemplum
sanationis adhibitae in casu nostro (§. II - XIII.), similes quoque
regulas sanandi obseruet; dum similia sui quoque tracta-
tionem exposcent similem.

§. XLI.

§. XLI.

Conclusio.

Hucusque dictis complura insuper accedere possent, si modo conforme foret cum proposito meo, nunc esse admodum prolixum in differendo. Hic enim de ortu partium solidarum corporis humani, illarumque diuersis qualitatibus, nec non de differente methodo medendi partibus tendineis solutis, satis verbose a me disputari potuisset, vbiique interspersa varietate opinorum, quae vñquam inter doctos de eodem argumento obtinuerunt. Quodsi vero vnica obseruatio veri nominis plus valeat in arte salutari, quam centum aut plura ratiocinia cruda; praeter haec etiam omnia ea a me expleta iam sint, quorum mentionem feci in instituti declaratione: vtique hic iam commode fieri

F I N I S.



PRAESTANTISSIMO

FRIDERICO CHRISTIANO BEHR

S. D.

D. ADAMVS NIETZKI.

Quamvis me negotiorum multitudine ac varietate obrutum esse sentiam,
 insuperque omnia iam sint in festinatione ad laureandam diligentiam
TVAM: bis tamen impediri non potui, quo minus bona verba *TIBI* dicentium
 numero interesset; nunc *TIBI* inscripturus epistolam, breuem quidem, sed veram
 animi mei in *TE* interpretem. Ex quo ad hanc Academiam accessisti: ex eo iam
 tempore neque etiam alio nomine mibi innotuisti, quam morum probitate, peri-
 tia Artis salutaris, illamque magis augendi perpolendique studio indefesso.
 Atque idem etiam de *TE* procul dubio iudicabunt reliqui Praeceptores *TVI*,

E

quos



quos modo in hac praeclara Musarum sede, modo Berolini habuisti; quotquot illorum TE ita bene noscendi, quam ego, nasci erant occasionem. Nunc iam edis eruditionis sibi comparatae specimen publicum; Doctoris dignitatem ex merito acquisiturus. Macte bac virtute esto! Ut itaque tanta honorum acquisitione felix sospesque per longos annos utaris, sasque eximium patriae TVAE decus, perenne TVORVM gaudium, constansque misericordia solatium, ex animo precor! Quod reliquum est, abs TE maiorem in modum peto, vt, de meo in TE amore certus confirmatusque, me in posterum quoque amicitia TVA, qua mihi nihil acceptius, nihilque iucundius erit, prosequaris! Atque ita ex animi sententia TE iam valere iubeo! Dab. in Acad. Frider. XIII. ante Cal. Junii A.O.R. CICIOCCCLXV.

VIRO

VIRO

NOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE

C A N D I D A T O

DOCTORALIVM HONORVM DIGNISSIMO,

S. P. D.


HERMANNVS ADOLPHVS CRÜWEL.

O P P.

Neque mihi, nec officio satisfacerem, si TIBI applaudentium numero non accederem. Nam TE semper assiduum in arte medica discenda comitem inveni, tum Berolini, vbi arte secandi incubauimus, tum in hac etiam Musarum fede, vbi ad eundem tendimus finem propositum. Inprimis vero coniuncta TVA amicitia, quae certe omnibus anteponenda est, id officii genus postulat. Accedit, quod Casus cuiusdam singularis enodationem, haud invita Minerva, anatomicis indubitatisque principiis imbutus, elaboraueris; adeo ut, opponentis Sparta mihi tradita, ne leue quidem argumentum innenire valeam, quod ad opponendum dignum videatur. Laude digna est haec TVA instituti ratio, vtramque praeclaram

E 2

scien-



scientiam medicam aequa ac chirurgicam magna cum solertia coluisti, quae fororis
quasi uterinae vinculo iunctae in hominum salutem tendunt. Facile in laudes tuas
excurrere possem, nisi hoc TVA modestia recusaret. Vix etiam tantum otii mihi
relicum est, quia omnia ad diei solemnia, mihi calculo candidissimo notandi, festi-
nant. Gratulor TIBI OPTIME BEHR, atque ex animo gratulor summos
artis honores in TE mox conferendos. TVIS TVAEQVE GENTI de tam
praeclaris dotibus ornato medico gratulor! Viue felix, viue diu, omnia fausta
TIBI eueniant! Sis amicitiae nostrae meique memor! Ego nunquam studio et
amore a quovis superari patiar. Itaque ex puro pectore TE valere iubeo! Da-
bam in Regia Fridericia V. Calend. Junii CICIOCCXXV.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
B E H R
 SVMMOS IN MEDICINA HONORES
 CAPESENTI

S. D. P.

IOANNES NICOLAVS WEISSE, R,

O P P .

Aamicitia, quae inter nos, a quo primum die alter alteri cognitus fuit, semper viguit, arctissima, quaeque eodem e studiorum, quibus operam nouamus, genere, animorumque nostrorum consensu in dies semper maiores cepit accessus, maiora incrementa, gaudio atque laetitia mentem meam perfundit; cum TE PRAESTANTISSIME AMICISSIME QVE BEHR ad doctoris medicinae dignitatem obtinendam medicam video cathedram concendere. Id quod litterulis hisce testatum TIBI facere et volui et debui. TE, AMICORVM OPTIME, quoenamque terrarum loco degeris, vota mea sequuntur, optant saluum ac incolumen, et omnibus felicitatum generibus ornatum vount. Vale, meque, quod facis, amare perge. Dab. in Reg. Fridericana V. Calend. Junii, CICLOCCXV.

VIRO
PRAENOBILISSIMO, DOCTISSIMO QVE
C A N D I D A T O
HONORVM DOCTORALIVM DIGNISSIMO
AMICO OPTIMO

S. P. D.
I. M. MAKCEPRANG.
HOLSATO - DANVS OPPONENS.

Quid iucundius, quid gratius mihi accidere potuisset, quam quod ea, quae iam diu exoptauit, occasio, nunc eueniat, TIBI VIR PRAENOBILISSIME, amorem meum publice testandi. Quamprimum enim in consuetudinem TVAM venire mihi liceret, statim sinceritas atque animi TVI integritas effecerunt, ut maximopere TE adamare inceperim; nec non sequentibus temporibus perquam sum gauisus, ut hunc meum amorem, atque amicitiam beneulo acceperis animo Magno igitur mihi verteretur vitio, idque haud immerito, si die hac solemni, qua cursu studiorum TVORVM feliciter confecto cathedram concendis, applaudentium TIBI votis, votiuas meas acclamaciones laetabundus et gratulabundus non coniungerem. Gratulor itaque de summis illis atque egregiis ornamentis, quae omnium, qui virtuti TVAE, ac praeclarae eruditioni iustum statuere pretium norunt, applausu publice adsequeris; nec quidquam magis in votis habeo, quam ut Numen supremum TE in multorum aegrotantium solamen per longissimum temporis spatium conferuerit. Quod restat hanc amoris mei abs TE peto remunerationem, ut in posterum me amare mihi que fauere velis. Scripsi Halaе, D. XXII. May MDCCCLXV.

VIR

VIR PRAENOBILISSIME, DOCTISSIME,
AMICE SVAVISSIONE.


Nihil gratius esse, nihil iucundius potest, quam amicos suos, eosque viros, tam ingenii, quam animi dotibus praeclaros, honoribus diu iam meritis ornatos videre. Et hae sunt virtutes, quas quisque omnino eorum, qui TE cognoscunt, laudare in TE atque magni facere debeat. Quare, cum nos etiam amicitia TVA donare volueris, non possumus, quin gratulemur TIBI et praeclarum eruditio specimen, et honores iam exspectandos. Credas velimus, nos nihil magis optare, quam ut etiam in posterum idem sit animus TVVS erga nos, qui semper adhuc fuit. Cum autem nos iam relinquere, necessitas TE cogat, nihil magis in votis habemus, quam ut prospiri successus egregiis TVIS doctrinis, et laudabili illi inclinationi respondeant, qua omnibus prodesse cupis. Abi itaque in patriam, decus familliae TVAE longe splendidissimae, et solarium omnibus aegrotantibus. Fruere denique per longam annorum seriem valetudine et felicitate quam exquisitissima, et in animum saepius reuoca memoriam.

Amicorum TIBI deditissimorum

K O C H E T M O H R

S. S. Th. Stud.

VIR-



VIRTUOSISSIMO SIGNORE

E

CARISSIMO MIO SIGNOR CVGINO.

O h com' avrei desiderato d'affricularo per alcune obgettioni dalla stima ed amititia, c' hò per lei, se la diversità de miei studii dai suoi non l'impedisce. Permettami dunque di scoprirgli in iscritto i sentimenti, che riempiono il mio cuore in questo giorno a causa della di lei ottenuta dignità. Senza temer' il sospetto dell' adulazione, io potrei adesso lodar' il di lei eccellente cuore, e le di lei scienze imparate per un' assidua diligenza. Ma ciò non è il mio disegno. Tutti che lo conobbero, ne sono così riempitti, e chi anche lo conoscerà, farà convinto d'una piacevole maniera per la di lei amena conversatione. Così voglio solamente felicitarlo della dignità ottenuta, solamente gli dirò che mi dolga della perdita della di lei conversatione, e niente più desideri, che bentosto riabbracciarlo per esser testimonio tanto del piacere, che V. S. sparge sopra la di lei honoratissima famiglia, quanto delle benedictioni di quelli, che lei ha conservato ed ha fatto riavere la sanità, ottimo dono della natura per le di lei ben' eßercitate scienze. Ma frantano devo pregarlo di conservarmi la di lei amicitia, e credermi, ch' io certamente sia, colla più pura inclinazione.

In Halla di 24 di Maggio

1765.

Di Voßignoria stimatissima

obedientissimo servitore e Cugino

GIOVANNI GERHARDO SCHILHORN

del paese d'Hanoveria Studente dei Dritti.

ULB Halle
002 612 240

3



Sh



DE
**TENDINIS ACHILLIS
 SOLV T I
 SANATIONE IN INTEGRVM FACTA**
 SINE ADVNATIONE PARTIVM TENTATA
 CASV QVODAM NOTABILI COMPROBATA

CLEMENTER ANNVENTE D. T. O. M.
 E DECRETO ILLVSTRIS MEDICORVM ORDINIS
 IN REGIA FRIDERICIANA
 PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BÜCHNER

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI
 POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS CONSILIARIO INTIM
 MEDICINAE ET PHILOSOPH. NATVR. PROFESS. PVBL. ORDINARI
 FACVLTATIS MEDICAЕ SENIORE, REGIORVM ALVMNORVM EPHOR
 IMPERIALIS ACADEMIAЕ NATVRAE CVRIOSORVM PRAESID
 ET REGIAR. SOCIET. SCIENTIAR. ANGLICAN. BEROLINENS.
 ET MONSPELIENS. SODALI

PRO GRAD V DOCTORIS

SOLEMNITER CONSEQUENDO
 DIE XXV. MAII A. O. R. C¹CCCC LXV.

H. L. Q. S.

PVLICE DISPVTABIT

AVCTOR

FRIDERICVS CHRISTIANVS BEHR
 BERGEDORFENSIS.

HALAE AD SALAM

A E R E C V R T I A N G.

VII. 25 - 2

